



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 42. De eodem, qua est causa gratiae & Sanctificationis, quæstatim
confertur; & vnitionis cum Christo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

IN quarta parte Meditatione 13. sunt alia
considerationes ad hoc propositum, quid videli-
cet sit, quod seorsim corpus consecretur à sangui-
ne, & cur in diuersis speciebus panis & vini.

MEDITATIO XLII.

DE SANCTISSIMO SA-
cramento, quò est causa gratiæ &
sanctificationis, in ipsa sumptione:
ac de admiranda illud sumen-
tis cum ipso Christo Do-
mino vnitione.

PUNCTVM I.



CONSIDERANDVM primò,
quod cum Christus Dominus
noster, decreuisset, septem
Sacramenta instituere, quæ
septem essent gratiæ signa
sensibilia, & septem instru-
menta, quibus passionis suæ
fructum nobis communicaret, nostram vide-
licet sanctificationem; decreuit quoq; ut ex
illis vnum nõ esset pura creatura, qualis pura
aqua, purũ oleũ aut balsamũ, aut merus panis,
& merũ vinũ; sed ipsemet Christus verus Deus
& Homo, voluit re ipsa & vere coniungi crea-
turæ, & miraculo occultare se sub accidētibus.

panis & vini, ut ipsemet gratiam nobis daret, & suæ passionis fructum applicaret, sic manifestans nobis infinitam charitatem & amorem, quo nos prosequitur; & quanti faciat nostram sanctificationem, & eius augmentum ac perfectionem. Id quod aliquibus exemplis potest exponi.

I. **PRIMUM:** quia amantissimus noster Iesus non est sicut medicus, qui postquam medicamentum præscripsit, committit infirmario, ut illud applicet ægrotis: ipse autem medicus nec tangit quidem ipsum ægrotum; sed potius ipsemet & medicus est, & medicina, & qui invisibiliter illam applicat, ingrediens tãquam cibus ad nostra interiora, & gratiam communicans qua noster morbus sanetur.

II. **DEINDE** non est Christus Dominus noster sicut homo dives & potens, qui pretium offert quo redimatur captivus, iubetque famulo suo, ut illum redimat; sed ipsemet est redemptor & pretium nostræ redemptionis, & qui sanguinis sui pretium nobis applicat, ac per se ipsum tribuit perfectam libertatem gratiæ & adoptionis filiorum Dei.

III. **NEQUE** est sicut aliqua mater, quæ postquam cum dolore peperit filium, nutrici alicui tradit, eius lacte nutriendum; sed ipsemet qui magnis doloribus in cruce nos genuit, vult nos nutrire, sicut benevola mater, proprio suo corpore & sanguine. Nec est sicut Rex, qui subditos invitans, servos suos iubet ad mensam illis ministrare; sed ipsemet potius

& nos

& nos inuitat, & ipsum est conuiuium, & ministrat ad mēsam, dans nobis se ipsum in cibū & potum. Et quamuis Sacerdotes sint eius ministri ad communionem impartendam, ipse tamen reuera huic toti actioni assistit, speciebus panis & vini vnitus. O Medice benignissime, Redemptor liberalissime, ô Rex piissime, & Mater amantissima! quid faciam obsequij, quo respondeam tantis, quæ in meum commodum præstas! quomodo non eum diligam qui me tantoperè diligit? quomodo non æstimabo meæ sanctificationis gratiam, quam ipse sanctificator se ipso mihi communicat! quomodo non esuriam ad præclarum adeò conuiuiū accedere, in quo ipsemet Deus, qui me inuitat, est cibus ipse, quem comedam, ut ex eo vitam recipiam! gratias tibi Pater amantissime ob supremum hoc beneficium; ne pariaris me esse parcum in reddendis gratiis, nec tepidum in accipiendo ex eo fructum. Amen.

PUNCTVM II.

CONSIDERANDA sunt deinde dona, quæ Christus Dominus noster animæ largitur, quando in hoc Sacramento eam ingreditur. Hoc enim ingressu *mens impletur gratia*, & charitate, cæterisque supernaturalibus virtutibus, & septem donis Spiritus sancti, multò abundantiùs & perfectiùs, quam per reliqua Sacramenta; eò quod in hoc sit fons gratiarum, & ipse earum largitor. Sicut quādo

I.

Rex facit eleemosynam per manum sui Eleemosynarii, ferēdū est, etiā si exiguā largiatur; at si propria sua manu id faciat, decet donū esse magnū, sicut donū Regiū: ita quoniam in hoc Sacramento ipsemet Christus per se ipsū, gratiæ & virtutū eleemosynā elargitur, eam dat copiosam, & tanquam eleemosynam, per manum ipsius Dei oblatam, implens hic illud Davidis, *a qui coronat nos in misericordia, & magnis miseracionibus, quæ ab ea procedunt, replens nostrum desiderium ingentibus bonis.* Atque ita licet cogitare, quod quando per os meum ingreditur, mihi dicat illud Psa. b *dilata os tuū & implebo illud:* dilata & extende sinus animæ tuæ, & cordis tui desideria, quia eo animo venio, vt illos impleam, & hæc expleā. Audi anima mea, vocē dilecti tui: & siquidem ipse profusus vult esse in cōmunicandis tibi suis donis; ne sis tu parca, in te præparando ad illa suscipienda, dilata cor tuū spe, & extende charitate, exorna illud feruentibus deuotionis actibus, vt cūm ingredietur, tuus dilectus repleat illud suis donis, & sua copiosa benedictione. Amen.

II.

DEINDE perpendā spirituale conuiuium, quod nobis Christus in anima nostra exhibet tribuēs illi in ipso statim ingressu spirituale refectioem, quæ est huius Sacramenti propria. id quod intelligi potest eo modo, quo S. Greg. dicit, quod virtutes & dona Spiritus S. significata per tres filias, & septē filios Iob, exhibeant solemne cōuiuiū animæ, cum exercitio suarū actionum,

a Psa. 102. 4

b Psa. 80. 22

//

//

//

Lib. 1. Mor.
c. 25.

//

actionum, mouere ea Christo Dño nostro sua
 presentia, vt magno iubilo huiusmodi actio-
 nes exerceant. Exhibet etiam nobis cõuiuũ
 per *charitatẽ*, mouens eã ad exercendos actus
 dilectionis Dei, spiritualis gaudii, zeli, diuine
 gloriã, & vehementis desiderii se coniugendi
 suo dilecto; Mouet virtutẽ Religionis, ad ex-
 ercendos actus reuerentiã, laudis, gratitudinis,
 aliosq; mille affectus orationis & deuotionis;
 mouet donũ *Sapientiã*, vt alea de Deo sen-
 ferat. cũ stupore magnitudinũ eius, cũ magna
 fide & luce veritatum, magno sapore ac dul-
 cedine perfectionũ eius, eadẽ ratione permo-
 uet ipsam *fide* & *spẽ humilitatẽ*, & *obedientiã*,
 cũ ceteris virtutibus donisq; Spiritus S. cu-
 ius actus sunt refectio, sustentatio, & satietas
 spiritualis animę. Ex his concipiã intimũ desi-
 derium ipsum inuitãdi, sicut ipse me inuitat,
 vt *me cũ cenet, & ego cũ eo*, excitans me ipsũ
 ad hos actus exercendos ex libero meo arbi-
 trio eius gratia adiuto, quãuis arido & torpẽ-
 te, oblectatur. n. Christus Dñs noster plurimũ
 hoc cibo, cõnando nobiscũ intra cor nostrũ.
 Ac propterea dicit Spiritus S. *d quando federis*
 vt *comedas cũ Principe, diligẽter attẽde quã ap-*
posita sunt ante faciẽ tuã, e sciens quod talia te
oportet prãparare. vt ille comedat. O Princeps
 supreme, ingrediẽre pauperẽ hãc domũ ad cẽ-
 nandum mecum; sed tecum adfer cœnam, quã
 oblectaris: ego quod in me est, offero me ad il-
 lam prãparandã omnibus viribus meis, con-
 tendẽdo vt faciã qd quid tibi placebit in illa.

Apo. 3. 20.

d Prom. 23. 1

e. iuxta

LXX.

Ex S. Aug.

Tract. 47.

c. 84 in

Ioan.

S. Ambr. 1.

ff. c. 13.

PUNCTVM III.

TERTIÒ considerandum, quod Christus Dominus noster nominatim diuinum hoc sacramentum instituerit, vt se nobis coniungeret charitatis vnitione, toto tempore huius vitæ. quod beneficium maximum est inter ea, quæ hic suis confert Electis. Hoc significauit ipse cum dixit: *a qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*: quasi diceret; *in me manet per charitatem, sicut qui amat est in re amata; & ego in eo per gratiam, communicans illi omnia bona, quæ ab ea procedunt.* Hoc autem non solum fit quamdiu sensibilis hic cibus manet in corpore, sed permanenter, nam etsi Sacramentalibus speciebus consumptis, non amplius maneat nobiscum Christus, quæ homo est; permanet tamen, quæ est Deus nobis coniunctus, & nos illi amore amicitiaæ mutua; ipse nos amans & nos ipsum, facientes re ipsa quod Sanctus Ioannes dixit. *b Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

NAM Christus, quæ Deus, est ipsa charitas per essentiam; & per hoc Sacramentum oritur in nobis charitas participata; & idè qui illum sumit, manet charitati cõiunctus; & ita est in Deo tanquã in sua domo refugii; & Deus est in eo, tãq̃ in suo tẽplo & horto voluptatis.

a Ioan. 6. 54

b I. Ioan. 6. 4

S. Thom.
ibid ex S.
Bern.

Quo-

Quomodo, anima mea, non extra te ipsam existis dum huius beneficii magnitudinem & charitatis efficacitatem perpēdis, quam Christus tibi in hoc sacramento communicat? Si Christus est charitas, quid illa melius? Si, qui est in charitate, manet in Christo, quid eo securius? Si Christus manet cū eo, quid eo lætius? quòd si id totum in hoc conuiuio assequeris, quid est illo amabilius? ò conuiuium infinitæ charitatis, in quo ipsamet charitas speciebus panis & vini velata, ingreditur intra me, vt conuertat in se. O dilecte mi, permuta me totum in te, vt semper te diligam, laudem, & glorificationem in æternum, Amen.

IN hac consideratione hærendum est in perpendendis tribus, quæ insinuauimus; quod videlicet, qui me in hoc sacramento inuitat, sit DEVS, qui est ipsa charitas, & à charitate permotus, admirandum hoc instituit conuiuium; cibus deinde qui hîc proponitur, est præcipuè ipsamet charitas, quæ est Deus; & ille ingreditur intra me, assidetq; in medio cordis mei, sicut c Salomon amabilis Domini sequebatur in medio ferculi, quod fecerat ex lignis Libani, quod cōstrauit media charitate propter filias Ierusalem, hoc est animas sanctas, vt sic eas ad se attraheret. Ac denique perpendendum, quòd finis & fructus huius conuiuij, sit coniunctio charitatis, permanente Deo in me tanquam in suo ferculo & loco quietis; & me in ipso, tanquam in protectore meo, & loco refugij.

c Can. 3. 10.

PUNCTVM IV.

QUARTO consideranda sunt supremæ huius vnitionis excellentiæ, ex similitudine, qua Christus Dominus ad eam declaranda est vsus; a *sicut ego uiuo*, ait, *propter Patrem, ita qui manducat me, & ipse uiuet propter me*. quibus verbis proposuit Christus Dñs maximam quam potuit similitudinem in hunc finem; quæ in eo consistit, quòd sicut Filius Dei, per generationem æternam accipit à suo Patre naturã, & vitam Dei, & omnes perfectiones, virtutes, & opera Dei, ita ut Filius per hanc generationem sit vnus Deus cum Patre suo, uiuat in eo, & per eum; sit sapiens bonus, sanctus, infinitus, & omnipotès sicut Pater, cum quo habet vnum & idè sentire, velle, & operari in omnibus rebus; ita etiã qui dignè Christum in hoc Sacramento sumit, virtute huius sumptionis, fit particeps naturæ & vitæ Christi, perfectionum & virtutum eius; fit Christo conformis in sentiendo, volendo, & faciendo idem, quod ipse Christus; ita ut sit vnus spiritus cum eo, ut possit dicere illud Apostoli: *b uiuo iam non ego. uiuit uero in me* *c Phil. 1. 21.* *Christus: & c mihi uiuere Christus est*, quia uiuo in eo, & per eum, & ipsi uiuo. O dulcissime IESV, siquidem tanto affectu cupis me vnum esse tecum, sicut tu es vnum cum Patre tuo, ingredi animam in hoc Sacramento, & effice in ea vnitionem, quam per illud mihi promisti ut per eam glorificeris in æternum, Amen.

IN

IN hac consideratione diligentius est perpendendum verbum illud PROPTER ME, cum dixit Christus, qui manducat me viuet propter me: quod verbum omnia genera causarum complectitur; quo significat se futurum causam perfectissimam omnium viuientium operum, quæ fecerit qui eum comederit. nam inspiratione sua erit illorum principium, excitans illum ad ea faciendâ; erit & vltimus finis, ad cuius gloriam omnia dirigat; erit exemplar: quod in illis faciendis imitetur; ac denique erit materia & argumentum verborum, cogitationum, & affectuum, quos ille habebit; ita vt semper viuat propter Christum, sicut qui d *nihil scit aliud*

d 1. Cor. 2. 2

nisi IESUM Christum; & eum crucifixum; nec digere vult alium, nec de alio loqui nisi de Christo, nec facere nisi per Christum & propter Christum. Hoc modo Christus erit vita nostra, quam nobis in sanctissimo Sacramento communicat; & ideo per excellentiam e

e Ioan. 6. 51.

panis viuus appellatur; quia per eum viuimus vitam Dei, & vitam Christi vniti cum ipso, sicut ipse eandem vitam viuuit cum Patre suo. O verè panis vitæ, viuifica me vita tua cœlesti ac diuina, vt ex nunc non in me viuam, sed in te, nec vitam viuam hominis, sed vitam Dei, illi vnitus in secula, Amen.

PUNCTVM V.

CONSIDERANDI quintò sunt admirandi huius vnitionis effectus, ex aliquibus similitudinibus.

Prima

I.

*Prima est similitudo sumpta ex pane & vino, in quibus hoc cōuiuium celebratur. NAM sicut cibus corpori coniunctus, communicat illi proprias qualitates; ex quo prouenit, vt crassiores cibi crassiores nutriant humores; & deliciares cibi, humores deliciares, magisq; salubres, ita Christus Dominus noster in nos ingressus, & animabus nostris vnitus, suas proprietates & qualitates cœlestes nobis cōmunicat, charitatem suam, humilitatem, obedientiam, patientiam, & reliquas virtutes; ita vt ad noui huius hominis & cœlestis Adami imaginem ita renouemur, vt de nobis dicere liceat; *a qualis est secundus homo de cœlo cœlestis, tales sunt & cœlestes;* & qualis porro est Christus, tales sunt qui illum comedunt. Et quamuis verum sit, quod omnes virtutes comunicet, singulariter tamen cuius dat illam, qua ille magis indiget, magisque desiderat ac quærit per talem cibum; sicut manna, quod licet haberet omnem saporem, respondebat tamen voluntati & gustatui singulorum, sicut supra obseruauimus.*

a 1. Cor. 15.
48.

II.

AD eundem modum licet etiam considerare, esse in hoc Sacramento eundem illum Dñm, qui dixit, *b Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum.* Quod vt perficiat, ingreditur in nos, & tanquã vitis collocat se in medio cordis nostri, vnitque sibi palmitem animæ nostræ, & oēs eius propagines, potências scilicet, quibus dat virtutē, ad dulcissimos benedictionis fructus pro-

b Ioan. 15. 5.

feren-

ferendos, pias nimirum cogitationes, affectus
 ferventes, verba sancta, & opera perfecta. Ne-
 que verò est solum vitis, sed etiam cultor &
 agricola: ipse enim palmites putat, ut fructum
 afferat; inspirat enim ei, ad quem ingreditur,
 quid sit putandum, quid mortificandū; & au-
 xilium ad id faciendum prebet, ut unio con-
 seruetur, & fructus accipiat ex ea copiosiores.
 O anima mea, siquidem nosti, palmitem à vite
 abscissum non posse fructum ferre; & ad nihi-
 lum valere ultra, nisi ut in ignem mittatur,
 coniunge te cum hac suprema vite, quæ est
 Christus: recipe eum intra viscera tua, reseca
 quidquid in te est, quod ab eo te separet, ut ab
 inferni igne liberatus, aeternum ardeas igne
 amoris eius, Amen.

LICET etiam considerare, in sanctissimo
 hoc Sacramento latere Dominum illum, quem
 S. Iacobus: *c Infitum verbum* appellat, quod po-
 test saluare animas nostras. nam per Incarna-
 tionem fuit infitum & unio humanæ naturæ (sic-
 ut aliqua fructuosa arbor inseritur truncò ste-
 rilis arboris) & in eam opera edidit plus quam
 humana. Hic itaque idem Dominus per huius
 Sacramenti communionem, ingreditur animam
 meam, & inseritur illi per gratiam: cumque ego
 naturam sim stipes sterilis, qui non profert nisi
 fructus amaros peccatorum, dum ipse in me
 inseritur, facit me proferre fructus dulces ac
 diuinos, non tanquam à me, sed tanquam ab ipso,
 illi proveniant. sicut stipes amigdali amaræ
 propter d *insertam* propaginem dulcis, profert
 amigda-

III.

c Iacob. 1. 21

d Rom. 11.
17. 24.

e Cant. 2. 3.

amigdala dulcia. O dilecte mi, arbor dulcissima, de Coelo allata pro salute munditiam mihi non satis est dicere, sicut Sponsa: *e sub umbra illius, quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo:* Sed ulterius cupio, ut in me ipsum ingressus, facias me unum tecum, quo virtute tua dulces proferam fructus similes tuis, qui permaneant in vitam æternam,

PUNCTVM VI.

TANDEM ex prædictis omnibus pergam ad considerandum, quod Christus Dominus noster, hoc sacramentum instituerit in speciebus panis & vini potius, quam alterius cibi pretiosioris aut rarioris, ut ita significaret, quam frequenter esset sumendum; à quibus personis, & qua dispositione; & vni-tionem atque effectus, quos in sumentibus operatur.

I.
4. part. Me-
dit. 13. pun.
3.

PRIMUM hac ratione declarauit intimum desiderium, quo tenetur, exhibēdi nobis quotidie hoc conuiuium, & ut nos quotidie præparemus, ut eius participes efficiamur. Nam Reges terræ ad suam magnificentiam putant pertinere, quod eorum conuiuia sint sumptuosissima, sed simul rarissima, bis aut ter in anno: Rex verò cœlestis magnæ quoque tribuit excellentiæ, ut conuiuium quod ipse parat, sit splendidissimum, sed simul cupit esse quotidianum, & quidem per totam vitam: & ita instituit illud in forma panis & vini, qui cibus

est

est quotidianus; vt intelligamus, quod sicut corpus, quamuis nullum fuisset præceptum datum de conseruanda vita, necessitate tamen & oblectatione trahitur, ad comedendum quotidie panem & vinum quibus se alit: Ita anima, quamuis nullum esset præceptum suscipiendi hoc Sacramentum, debet merito id facere frequentissime, tum ob necessitatem conseruandi vitam spiritualem; tum ob delectationem, quam ex hoc cibo percipit; & vt Domino ipsi rem gratam faciamus, qui adedò amanter nos inuitat iuberque, vt a panem hunc *super substantialem* quotidie ab ipso petamus, quia valdè cupit illum nobis dare. Imò vt magis ad illum sumendum nos alliciat, etiam nobis minatur: *b Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, nec vitam gratiæ, nec vitam æternæ gloriæ.* O Pater amantissime, fac me dignum, qui quotidie sumam hunc panem quotidianum: & siquidem desideras, vt adeo frequenter illum sumam, adiuua me tua gratia, vt fructum magnum ex eo hauriam.

a Mat. 6.11.

b Ioan. 6.53.

II.

DEINDE panis & vinum, sunt ordinarium & commune alimentū cuiusuis generis personarum, diuitem & c *pauperum*, magnorū & paruorū: Ita Christus Dominus noster, qui est in hoc Sacramento, vult esse alimentū omnium fidelium, cuiuscunque fiat status & conditionis, altioris vel inferioris; quia omnes inuitat, vt apparet in illa parabola Regis, qui fecit

c Luc. 14.21

coenam

3. part. Me-
dit. 63.

III.

cenam magnam, & inuitauit etiam claudos & cæcos, &c. & grauitè valde tulit, quod multi se excusarent, vt obseruauimus in Meditatione huius parabola.

TERTIO se cõiunxit Christus Dominus noster cum speciebus panis & vini, quæ sunt ex multis granis tritici & botri inter se coniunctis; ad significandum, q̄ hoc Sacramento, non se iungat spiritualiter nisi animabus, charitate inter se ipsas & cū proximis cõiunctis. Itaque sicut non possunt consecrari grana tritici aut botri, donec fiant panis & vinū, prædicta vnitione; ita etiam, quamuis Christus Dñs noster, per sacramentalem cõmunionem ingrediatur in hominem, non coniungatur spiritualiter cum illo, si est diuisus & disunctus, deficiente charitate, quæ illum vniat, & nisi debitè se disponat ad remouenda impedimenta. quod obtinebimus, si instar frumenti, nos ipsos contritione molamus & pœnitentia, & sicut vvas patiamur nos vera humilitate & subiectione ab omnibus calcari, propter amorē Dei. Hinc prouenit magna animi fortitudo, ad omnia spiritualis vitæ opera, magna animi alacritate perficienda. nam sicut dicitur *panis* (vt ait David) *cor hominis confirmat, & vinum lætificat*; & quamuis sint ordinarius cibus, non tamen fastidium generant, potiusq; esse solent tanquam condimentū, dum alijs cibus miscentur: Ita etiam panis iste, & vinum cœleste, confortat & lætificat spiritum; & quamuis quotidie sumatur; si ramen

d Psal. 103.
15.

dignè

dignè accipiatur, non generat fastidium, quia
 potius e qui edunt adhuc esuriunt; & qui bi- *e Eccli. 24.*
 bunt adhuc sitient, quia continet in se f omnem *29.*
 Saporem suauitatis. non terrenæ, vt g manna *f sap. 16. 20.*
 quod nauseam attulit filijs Israel; sed cœlestis, *g Numer.*
 quæ recreat Angelos Cœli. O Dilectæ animæ *21. 50*
 meæ, qui tot vijs & modis me prouocas ad
 fruendum supremo isto conuiuio; ne patiaris,
 vt inordinato amore bonorum terrenorum
 me excusem, nec ad illud accedam h sine veste *h Luca. 14.*
 nuptiali, quæ est charitas; exue cor meum ab *18.*
 omni amore terreno, & indue Diuino, vt a-
 manter assistam conuiuio amoris; & per illud
 eiusdem amoris perfectionem obtineam, per-
 fecta tecum charitate coniunctus. Amen.

MEDITATIO XLIII.

DE SANCTISSIMO SA-
 cramento, quâ pignus est & signum
 gloriæ, quam spe-
 ramus.



VPIENS Deus Dominus noster
 dare nobis aliquod signum & pi-
 gnus gloriæ, quam nobis promisit,
 ad nostram consolationem, & fi-
 ducta nostra securitatem, insti-
 tuit hoc Sanctissimum Sacramentum, in quo
 omnia concurrunt, quæ ad eum finem possint
 desiderari, vt in subiectis punctis patebit.

PUNCTVM I.

CONSIDERANDVM primò, quod hoc

VI. Part. Medit.

Kk

Sanctil.